

ut aut alter alterius opus suo adiungeret, aut tertius quidam utrumque librum in unum redigeret corpus, itaque ut aut alter locorum aut locus uterque, in quibus altera chronica alterius mentionem facit, insererentur. Quod aliis diiudicandum relinquo.

Chronica Praesulum intra annos 1370-1380 ortam esse puto. Auctorem tempore Friderici III. (1370-~~X~~ 1414) vixisse iam inde sequitur, quod exceptis codicibus 4, 4, 4^o Theodericus archiepiscopus, s. Engelberti antecessor, non primus, sed simpliciter Theodericus appellatur. In plerisque porro codicibus nomina regum stirpis Luxemburgo-Bohemicae non ultra Carolum IV. proferuntur (in vita Sifridi), unde eorum codicum 4 et 7, qui stemma usque ad Ladislaum Alberti II. imperatoris filium producit, postea adscriptum esse apparet. Neve ex verbis 'usque ad Fridericum III. de quo infra sequitur', quae extant in capite inscripto 'Tempora vacationis', colligas, auctori ultra a. 1370 progredi in animo fuisse. Revera enim in fine electionis eiusdem Friderici fit mentio.

De fide chronicae si quaesiveris, duae partes discernendae erunt. Quarum prior pergit usque ad mortem Henrici I. (1238), quam auctor fere totam ex aliis fontibus notissimis exscripsit, ex catalogis videlicet antiquioribus, ex vitis singulorum pontificum, archiepiscoporum, ex ann. bol. maximis, ex Martino Polono, ex baccarii Heisterbacensis dialogo miraculorum, ex variis diplomatis. In altera contra parte rarius libros afferre potui, quibus eum chronica ad verbum congrueret. Hic nonnulla leguntur reprehensione digna, imprimis quae de Conrado et Engelberto II. archiepiscopis narrantur virtus scitent. Sed si in universum spectamus, relatio est fide digna, satis bene disposita, non ineleganter conscripta.